DE AMENORRHOEA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD DOCTORIS…

Leonardo Antonio Vinco

DE

AMENORRHOEA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
AD DOCTORIS LAUREAM IN MEDICINA
ASSEQUENDAM
IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO
CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDAM
PROPONIT

VINCO LEONARDUS ANTONIUS

VERONENSIS

PATAVII
EX TYPIS VALENTINI CRESCINII
MDCCCXXX

Cum illud mihi ex celeberrimae et antiquissimae hujus Academiae legibus praescriptum sit, ut antequam summos honores in difficillima arte medica expostulem, praeteritorum studiorum specimen solemniter exhibeam, ob id praecipue haec mihi illucet optata dies, quod vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me, Praeceptores Sapientissimi, contulistis, si non compta enumerare oratione, grato tamen animo publice mihi profiteri datum est. Tot autem argumenta superioribus annis et nuperrime ab adolescentibus medica laurea condecorandis pertractata fuere, ut difficile prorsus sit, disputationem Vestris auribus dignam Vobis offerre, in tam ardua praesertim tentaminum difficultate, quae solertiam et celeritatem ingenii expostulasset. Quare, ne longus sim, de foeminorum morbo satis frequenti nonnulla colligere constitui, videlicet de *Amenorrhoea*

Periodico sanguinis fluxui ab adolescentia obnoxias esse mulieres natura jussit usque ad aetatis annum quadragesimum quintum circiter. Fluxus ille *menstrua* constituit, quae uti serius plus minus in adolescente sese produnt pro diverso coeli temperie, foeminae temperamento ac vitae genere, ita serius cessant aut ocyus cum mulier ad maturam aetatem pervenerit. Foeminae autem non desunt, in quibus nulla unquam sanguinis menstrua excretio locum habuit, valetudine intemerata. Deest tamen quandoque ob causas morbosas, et menstruorum defectus morbum facit, cui graecum *amenorrhoeae* nomen impositum est; et quamvis Auctores in ejus indole determinande non in eadem sint sententia, nihilo tamen secius parum mihi aut nihil videntur differre inter se. *Pinelius* enim amenorrhoeam esse ait menstruorum privationem sive retentionem; *Vogel* eam dicit suppressionem menstruorum ex toto aut ex parte; *Cullen* eos casus affert, in quibus menstrua minus quam de more solent, fluunt vel omnino non apparent, etiamsi graviditatis nulla sit suspicio; *Baumes* statuit amenorrhoeam esse fluxus imminutionem, suppressionem, nullam manifestationem, aut difficultatem; alii demum alia excogitarunt. Vocant alii *menostasiam*. Accuratius celeb. *Astruc* suppressionem hanc distinxit in *naturalem*, quae cessatio potius dicenda est, cum foemina annum aetatis attigerit quintum supra quadragesimum; in *non naturalem* quae in graviditate lo-

cum habet aut in lactatione, et in *praeternaturalem* quae causas agnoscit, ob quas foeminae vigente aetate neque gravidae, neque lactantes catameniis destituuntur.

Varius morbus hic symptomatibus enunciatur, isve conjungitur: exempli causa totius organismi insurgit debilitas, et molestus ponderis sensus in hypogastrio, et in lumbis, distortiones accedunt ab una ad alteram harum regionum, quae proximam indicare solent manstrui fluxus manifestationem, et adauctae alia symptomata constituunt, nisi fluxus sequatur Quod si manstrua in foemina temperamenti plethorici supprimantur, tum graviora phaenomena exsurgunt, et nausea, vomitus, vagantes dolores, colicae, gravedo, nevrosena varia forma, et sputa aliquando sanguinea consequuntur Si vero ad plethoricum temperamentum diathesis phlogistica accesserit, pulsus brevi tempora apparebunt pleni, duri, fraquentes, et veluti obstructi, pellis calida, tremores irregulares, ad extremum sympathica levis matritidis signa habebuntur.

Causae ad hanc amenorrhoeae speciem praedisponantes esse possunt temparamentum, et individui idiosyncrasia; causae occasionales illae generatim sunt, quae possunt affluxum sanguinis ad uterum aut ejus organi activitatem imminuere Inter causas quae in uterum immediate agentes regularem fluxum supprimunt, enumeramus maximam uteri irritabilitatem, coitus ebusum, onanismum, intempe-

rantem et non satisfactam veneream voluptatem, lavacra cum aqua frigida, inspersiones et injectiones adstringentes, quae metritidis sunt immediatae et certissimae causae, animi pathemata et terrorem praecipue, amores infaustos, frigus de repente corpori admotum, et alia quam plurima.

Sed hic sanguis qui sempee pae vias naturales singulis mensibus emittendus esset, uterum insigniter afficiat oportet novo, ut ita dicam, stimulo, atque hinc morbosum processum inducens fiat consequentis inflammationis causa. Quum vero status uterinae phlegmasiae habeatue, aequum est conjicere, aut uteri irritationem gigni, ut brevi temporis intervallo in inflammationem convertatur, aut tantummodo stimulum induci, qui ejusdem sanguinis regressum excitet. In primo casu status pathologicus erit in utero, et ita localem morbum, nempe metritidem, gignet, haec autem metritis majores, vel minores perturbationes in tota animali oeconomia exsuscitabit pro varia aliorum viscerum ac nervorum dispositione, et pro varia partium sympathia cum organo primitus affecto. Quamobrem non eadem sempee debet esse curae methodus prout alia atque alia organa per consensum affecta sint, et morbus ipse multiformis esse potest pro consensu organorum quae ab uteri affectione fuerunt perturbata. Consensus istiusmodi cognoscendi sunt ab immediata partium continuitate, et ab affinitate quae intercedit inter organum morbose affectum, et inter

organa sana per nervosum systema; idque actione fieri potest plus minusve intensa pro sympathia visceris effecti, aeque ad levamen, ut ad primi morbi incrementum. Dixi ad levamen; namque si affectum ex. gr. hepar fuerit, utpote quia viscus hoc facilius ad phlogosim praedisponitur, majorem ad se partem attrahit fluidorum, quae causam metritidis praecipuam constituebant, et acuta fiet hepatitis, dum e contra uteri affectio aut imminuetur, aut omnino evanescet. Dixi vero etiam ad morbi incrementum; namque si intestina ex. gr. inflammatione ex consensu affecta fuerint, duplex inflammatio existit, idest metritis et enteritis; quarum quum prior ex ablata superius causa praevaleat, attrahet ad se morbosum alterius processum, qui una cum primitivo morbo in loco primitus affecto summum utriusque constituet: in altero casu, quum nimirum sanguis absorptionem excitare potest, universalis plethorae statum observabimus: fluidum enim quod per vias naturales secerni debebat, omnem animalem oeconomiam perturbat et efficit, quumque chemicis decompositionibus obnoxium fuerit, irritabit omne systema vasculare sanguineum, quod inde necessario inflammatione corripietur. Itaque vasa venosa et arteriosa hoc modo inflammata ex tunicarum vascularium turgore diametrum suum debet minuere in proportione luminis vasorum. Quare vas cujus diameter sit linearum trium, habebit etiam lineas tres exstimulantis fluidi, et in hac proportione restringi

debebit. Sic hujusmodi progressu ad extremitates vasculares perveniemus, quas omnino obliteratas deprehendemus, imo, et melius dicam, easdem observabimus impedire globulorum sanguineorum transitum; hinc cutis non jam roseum, sed albo-subflavum colorem induet, qui color chlorosim constituit, morbum videlicet ex *amenorrhoea* consequentem.

Quod si *amenorrhoea* ex subita causa foeminam non plethoricam aggrediatur, quae optima valetudine gaudeat, nec ullam evidentem praedispositionem morbosam praesseferat, plerumque cedit calidae potioni leviter stimulanti, quieti, emollientibus super epigastrion, et balneis. Si vero amenorrhoea ex phlogistico uteri statu pendeat, ea curae methodus circa eumdem locum omnis adhibenda est, quae antiphlogistica generalis et localis opportune vocatur.

Quaecumque autem causa amenorrhoeam sthenicam inducat, ubi de foemina plethorica agatur, praescribetur sanguinis missio saepe copiosa et iterata, dummodo illius constitutioni conveniat, usus balneorum emollientium universalium, et localium, tum et alimenta non irritantia, parum nutrientia, et parva quantitate sumpta cum potionibus mucilaginosis; hirudines denique vulvae iterum atque iterum, applicandae sunt. Neque ab eadem medendi ratione nobis est abstinendum, si de pallida et gracili foemina sermo sit, praecipue si mulier nutrimentis succo-

sis usu semper fuerit, parum corporis exercitio indulserit, copiose de more menstrua habuerit, et in perfectam et subitaneam suppressionem inciderit. Accedet etiam regimen vitae valde moderatum, et ingens utilitas semicupiis et hirudinibus vulvae applicitis est expectanda Hac methodo etiam morbum superabimus, qui ex amenorrhoea ortum habuerit, sed minus intensus.

Quod si idem ipse morbosus processus aliam affectionem excitaverit quae in viscere ad vitae exercitium necessario insederit, cujus visceris laesio collectam materiam habuerit primitivi morbi efficientem, eritne utendum hac methodo, quae caussam tollat unde primitivus morbus originem habuit? Hoc in casu curae methodus deprimens sit oportet, sed id discriminis intercedet, quod cura potissimum circa organum adhibeatur, cujus consensus pathologicam ad se conditionem revocaverit.

THESES PROPUGNANDAE

I.

Ophthalmiam Aegyptiacam sola contagio non parit.

II.

In praxi Chirurgica consilium imperet, manus obtemperet.

III.

Ubi adest incrementum partium, non ibi semper vitalitatis augmentum.

IV.

Electricitas non est causa efficiens perturbationum, quae in systemate nervoso observantur.